



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118669

§. 110. Aloysii Legionensis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

dicaret: attamen ob nimium, quo huic Principi adhærebat, affectum fœderatis tantopere exosum sese reddebat, ut relicta Aula Lugdunum secederet, ubi iterum ob ingentem, qua pollebat, auctoritatem plurimos sibi accersebat æmulos, qui cives ad Regis obsequium ejus opera inclinari verebantur: quapropter Turnonium aufugere compellebatur, ac postea a supremo Societatis Præposito Romam evocatus, mutato tamen præcepto Venetias, ac postea Bononiam, demum vero Comum contendit, ubi & mortuus est, postquam pluradogmatica conscripserat opuscula.

Sæcul. XVI.
A.C. 1591.

§. CX.

Aloysii Legionensis obitus.

Erat Aloysius, seu Ludovicus Legionensis ex Ordine Fratrum Eremitarum sancti Augustini alumnus, qui diu Salmanticæ sacras literas tradidit, ac demum plures circa sacrum Codicem libros conscripsit, ex quibus palmam ceteris præripit tractatus latinus de legitimo tempore utriusque agni typici, ac veri immolationis, ubi omnes difficultates circa ultimam Domini nostri Cænam oppositas exacte discutit, ac propugnat, quod Christus Dominus legale Pascha fecerit, agnumque ad noctem feriæ quintæ, quæ erat juxta Judæos

Dupin. Bibl.
Sæcul. XVI.
part 4.
pag. 343.

Sæcul. XVI
A. C. 1591

initium lunæ decimæ quartæ Mensis Nisan, cum suis Discipulis comederit. Edebatur hic tractatus Salmanticæ anno post Christum natum millesimo quingentesimo octogesimo septimo: porro præter hunc librum Ludovicus Legionensis pariter elucubrabat explanationem Cantici Canticorum, necnon explanationem viginti septem psalmodum, ac tres libros de divinis Nominibus: insuper cantica canticorum hispanice reddidit, qua tamen versione sua hæresis suspicionem incurrebat, adeo, ut carceri manciparetur, ubi etiam per quinque annos inclusus hærebat: tandem vero die vigesima tertia Augusti anno ætatis suæ sexagesimo quarto mortalitatem exiit.

§. CXI.

Henrici Gravii fatum.

The. l. 100.
Myr. elog.
Belg. p. 41.

Denique Henricus Gravius celebris cujusdam Typographi nomine Bartholomæi Filius primo eandem artem cum Patre suo profitebatur, celeberrimamque sese reddebat: cum vero sese ad altiora natum crederet, postea Theologiæ studio sese impendit, tam amplo eruditionis profectu, ut in Lovaniensi Universitate per viginti annos Theologicas disciplinas traderet: inde autem a Sixto V. Romam vocabatur, ut

Biblio-